tijs. Atq; quemadmodũ homo ante peccatũ totius om-
niũ creaturarũ perfectionis compendiũ et synopsis quæ-
dam fuit, ita econtrario eundem, postquam peccavit, fa-
ctum esse epitomen cunctarũ imperfectionũ, quæ in
singulis creaturis reperiuntur, experientia nobis de-
monstrat. Ante peccatum potuit Adam ægritudinem
quamlibet, et ipsã mortẽ arcere: post peccatũ ater
luctus, ultrices curæ, pallentes morbi, tristis senectus,
trepidi metus, fatigans labor, frendens dolor uno agmi-
ne homines invaserunt. Quid tunc agerent homines,
cum viderent corpus suũ hinc et illinc tam variis mor-
borũ generibus premi atq; circumsepiri? Statim qui-
bus modis poterant salutaria remedia quærere, appro-
bare, approbata ad posteros suos transmittere, et nisi
transmissa fuissent, plurimi omnis ætatis ac ordinis
homines iam iam in nihilũ abiissent. Quia cum ve-
rum sit illud Philosophorũ, homines de die in diem in-
firmiores evadere, atq; cum senescente mundo quoq; re-
rũ naturas dilabi ac veterascere, paulatim ac pede-
tentim integer morborũ exercitus, qui tunc crescere